



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lvdovici Carrionis Antiqvarvm Lectionvm Commentarii III

Carrion, Louis

Antverpiæ, M D LXXVI

De locis aliquot Plauti Rude[n]te iudicatu[m]. Ca. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70907)

& insuaves videntur. Atque ita quidem capituli huius inscriptioni satisfacimus.

De locis aliquot, Plauti Rudente, iudicatum.

CAPVT XVI.

RVDENTE, in faceto illo Sceparionis & Ampeliscae colloquio, cum eam sacerdos Veneris aquam è proximo peteret iussisset, & illa iam apertis vicini foribus Sceparioni, quamobrem esset missa, vellet exponere:

Ad vos inquit, inquit, venio. at nequam seruus adhinnire iam ad lepidam ancillam incipies, & paulo familiarius eam tractans, respondet:

Accipiam hospitio si mox veneris,

Item vt affectam. nam nunc nihil est qui te inanē. suspicor scribi oportere, personis etiam, vt ponam, distinctis:

Am. Ad vos venio. Sce. accipiam hospitio si mox

veneris

item vt affectas. nam nunc nihil est qui te inanē.

Nequior enim & liberior est septetia. Si mox, inquit, ad me veneris; praestabo tibi officiū & hospitium, quod praestari sexus vester amat, & quod tacita petis. nam vt nunc res est, parū habeo, qui te inanem & sitientem expleam. id enim verbum postremum Plautus modestè reticuit. quanquam cum alijs libris sit, *qui te maneam*, de scripturae veritate dubito. neque sat scio an legi possit, non nimium ab illo, *inanem*, recedendo, *qui te inuē*. & ne quid dissimulem, scribi mallet: *si nox venis*: id est, noctu. quomodo verum illum Asinaria elegantissime restituit Lipsius:

Ph. Quo

*Ph. Quo nunc abis? quin tu hic manes? AR. Vix
voles manebo.*

qualis etiam illa xii. tabularum lex est:

SI NOX FURTVM FACTVM ESCIT,
SI HOMINIS ALIS OCCISIT; IOVR
CAISVS ESTO.

de quo in commentario ad leges Decemvires
plura scripsimus. Scena cuius initium: *Qui sunt.*

— *verum quicquid fuerit.*

Comiter fiet à me, quo non copia valebit.

sententia postulat, ut legamus; quod mea, aut, quod
proprie abest à vulgari lectione, quod nostra copia
valebit, id est; quantum potero sciueroque, antea
etiam dixerat:

— *egomet vix colo vitam,*

Veneri cibo meo servio:

& haec continuo fuerat subiunctura, nisi eam in-
terpellasset Ampelisca. error ex compendio lite-
rarum; nam, quod illi in, non, mutarunt. Plautus
Mercatore:

Quin si imperes tu mihi, ego faciam, facere certum;

Pro copia & sapientia quae te velle arbitrabor.

id est, ut sese ferent res, fortunae, & sapientia, sub-
dit enim Lyfimachus:

Laboriosi nihil tibi quicquam operis imperabo.

sed ad Rudentem. Scena, cuius initium: *Cupio
aedepol.*

*Omnia isthaec ego facile patior dum hic hinc à
me sentiat.*

scribendum videtur:

*Omnia isthaec ego facile patior, dū hic à me sentiat.
voce illa, hinc, quae nihil nisi glossema est, eiecta.
sequitur enim:*

Ant. Mureti
Varia Lectione
LIII
28

Dae. Atqui nunc abs te stat verum hinc tibi testi-
monium.

eadem scena:

Ubi ego dicam, quicquid inerit nominatim, tu mihi
nullum ostenderis.

scribe: nullus ostenderis. ratione loquendi Plauto,
Terentio, alijs, domestica.

Legirupio. Legirupa. Palaestra. Plautus Ru-
dente de opinione correctus.

CAPVT XV

QVONIAM vero audere coepi, & semel
quid ingenio & coniectura in Plauto pec-
sim, experiri: pergam porro in eadē fabula vnum
atque alterum locum tentare, & quid suspicer,
explicabo. quanquam hic nisi de opinione certi
nihil dicam. scena cuius initium: *Est e Phano.*

Lo. istuc volueramus, iube modo accedat prope

Dae. *Tun Legirupionem hic nobis cum Dis face-
re postulas?*

corruptus loctus à verbis, & personis. legendum:

Lo. istuc volueramus, iube modo accedat prope

Hunc legirupionem. Hic nobiscū Dis facere postulas.

Dae. *pugnum in os impinge.*

loquuntur videlicet Lorarij collocati vt à mu-
lierculis vim lenonis defendent. Et, finite, in-
quiunt, accedere propius si audet hunc perfidum,
conuersique deinde ad lenonem irridendum,
Quid est ò bone? an hic ad templum Veneris no-
biscum dijs sacrificare voluisti? legirupio, leno
vocatur, & legirupa, ab eodem saepius supra. sce-
na, *Pro Cyrenenses.*

—frandis